

est dolor remissus, & oēs acuti morbi, vt l Aphor. docetur, sunt vel à materia calida, vel ,pter nobilitatē loci. Cūm igitur hic morbus chronicus sit, necessariō eius causa est intemperies frigida. Est igitur etiā debilitas loci, ppter intemperiem frigidam: propter quam nec expellit excrementa, nec concoquit proprium alimentum. Hæc facit vt facile recipiat, & dolor postea etiam facile attrahit, & ita recipiens dupliciter recipit. Nec est mirum, quia subinde generatur materia in intemperie frigida & humida, ideo perseverat & exacuitur in coniunctione Lunæ, propterea quod in cerebro præcipue est talis palsio. Dolet autem propter materiam præsentē, quæ facit intemperiem, compressionem & solutionem cōtinui. Præterea impeditur in motu, quia ad hoc vt fiat motus, requiritur virtus illustris nerois, & obedientia instrumenti, vt sit aptum ad recipiendam impressionē. Hic neutrum est, vt oportet: nam virtus non potest illustrare: nam non potest transire ad membra quod malam habet temperaturam, vel obstructions, sicut radius solaris nō potest transire per aērem nimis nebulosum. Hic est materia: ergo virtus nō potest illustrare, & inde spiritus impediuntur, & refrigerantur. Deinde instrumentum etiam non potest extendi, dilatari, & contrahi, qd fieri debet in motu. Hic musculus & chorda repleti sunt viscidis & crassis humoribus, vt non possint contrahiri & dilatari. Apparet iam catalogus causarum istorum symptomatum, quo rum curatio queritur. Prima causa symptomatis, quo ad considerationem, membrum mandas est cerebrum, quod habet intemperiem frigidam & humidam, aggregans humores & excremēta. Secunda, recipiens locus, propter intemperiem frigidam, & in cerebro, & in vicinis membris. Audimus primò de studio, exercet artem, quæ sola potest resoluere caliditatem cerebri, propter cogitationes & actiones causarum non ordinatas, quæ augent cruditates. Regio frigida & ætas est in 55. anno. Primum autem senium terminatur septimo septennio: hoc est, 49. anno, vt in 3. Aphor. finiorum, sub finem: & inde incipit secundum senium usque ad 63. qui est climaetericus maior. Sunt enim nouies septem, quem terminum paucissimi superat, ita vt merito sacrificaret Diis maximo sacrificio Augustus Cæsar, cūm eū annum euasisset, vt scribitur apud Aulum Gellium. Ita ratione etatis frigidus est, & abundat excremētis: senectus enim per se morbus est: & vbi senes, qui natura sunt frigidiores, nanciscuntur aērem frigidissimum, nihil est perniciōsius: indigent enim calore, & inde æstate melius degunt, sicut iuuenes hyeme, vt bene docet Galenus in Aphorismo illo: Ventres hyeme calidores sunt natura, &c. eorum scilicet, qui iuuenes & robusti sunt: non senum, qui lēduntur à frigiditate.

Prognosticum. Si ergo iam verum est, intemperiem esse in cerebro & in neruis, & esse in senectute constitutum, in regione frigida, morbum longum & antiquum, non est facilis curatio. Etra-gum & antiquum, non est, quia non habemus virtutem & calorem, cuins nos Medici ministri sumus, ita validum, vt nobis de eo polliceri possimus. Nam ad curatio-

A nem, vt dicunt Hippocrates & Galenus, tria requiruntur: natura, ars & fortuna. In hoc natura nobis deest, quæ sine dubio debilior est in sene. Ergo dubio procul erit difficultas in curādo, nō est tamen desperandum. Curatio verò an cum pharmaco, an cum balneis facienda? Hoc quæsitus nō est proponendum: quia nemini dubium est, quin curari cūm debeat, vtrumque futurum sit vñi. Est enim intemperies cum materia. Ergo euacuanda est materia & auertenda, & remouenda intemperies in mandante & recipiente: quæ cūm sit frigida, calidis remouebitur: & ita vtrunque faciendum erit, neque erit disiunctiū propria nenda quæstio. Euacuationem hac hyeme non tentarem: contentus sit leui fomento, & recta vietus ratione, fugiat frigus, & maneat in vaporariis, sed non ita calidis, vt quidam apud Germanos consueuerunt, vt excoquāt & elixent carnes suas: sed vellem vt mediocriter calefierent, & minus in illis vestitus esset, quām cū exiret, ne subito obiiceretur aeri frigido. Abstineat à vino potenti: & si studet, moderatè id faciat, & ventre plus no minus laboret & cogitet. Vbi hēc in viētu omnia peracta erunt, tunc facerem linimentum in iis partibus, quod nec attraheret, nec repercuteret: sed calefaceret, ita vt iuuaret coctionem materiæ, vt posset facilis postea eradicari. Accipere rem itaque myrrham, in qua vis est concoquendi materiam frigidam & crassam, & astringit leuiter, vt corroboret membrum, ne recipiat nouam materiam: & gummi ammoniacum, quod vtrunque dissoluatur in acetō. Et ne timeat acetum, cūm Galenus exhibeat acetum in longè profundiōrum neruorū vulnerib⁹: quibus postea addatur oleum chamomillinum, quod resoluit sine attractione: & oleum rosaceum, quod penetrat, & crocum. Hæc mista simul illiniantur. His peractis habeat aliquas pillulas leuiores, quæ non moveant materiam, quam postea non educant. Ideo fugiat cocchias, sed sint ex aloë ac hiera simplici. E Postea accedente tempore verno, si verum est, quod corpus redundat sanguine, non effet alienum vt fieret sanguinis milisio: cūm podagra etiam & alij morbi frigi curati sint à Galeno missione sanguinis. Deinde erit euacuanda materia: proinde dabatur minoratuum ex cassia & hiera. Syrupus de cichorio laudatur à Nicolo inuento-re eius in ægritudinibus capitis, & epilepsia. Conuenit etiam syrupus de iua, de stœchade, simplex & compositus. Facta concoctione, euacuarē cum omnibus, in quibus agaricus & colocynthis ingreditur, siue pillulis, siue electuariis. Ideo confessio hamech, electuarium Indum, pillulae cocchie aggregatiæ, confessio hieræ compositæ, conueniunt. Post euacuationem ad corroborationem membrorum laudo theriacam & mithridatum, quia mirum in modum conferūt. Ad quæsitus, an conueniant thermæ Italicae, an vero Germanicae? non possum respondere, quia Germanicarum naturam nondum perspectam habeo. Hoc vnum dixerim, balnea conuenirent, sed calida, & maximè sulphurea: & si quid haberent aluminis admistum, non refuto, quia corroborarent membra. Si talia habet in Germania, vtatur illis, sed

Linimentū

Myrrha
us.